

Ejusdem sibendes Dominical. Augsp. 1747.

Ejusdem achtens Dominical, und Festival.

Ejusdem. Anhang von den 9. fremden Sünden auf die Sontag post Pentecosten

Fol. Augspurg 1726.

Silentio non prætereunda sunt duo minora Baaderi opuscula.

Primum: Nothwendige Glaubens Fragen der zarten Catholischen Jugend in dem löblichen Gotteshaus Wengen in Ulin. Quod opusculum sæpius fuit recusum.

Secundum: Helleuchtendes Liech von dem heiligen Abendmal und allerheiligsten Sacrament des Altars. In forma duodecima minori, contra quod opusculum scripsit Joannes Elias Frickius Pastor majoris Basilicæ Ulmenfis, cui vindicias opposuit Baaderus noster sequenti sub inscriptione: Einmal für allemahl helleuchtendes Licht der Catholischen Kirchen vom heiligen Abendmahl wider Eliam Frick Prediger im Münster 4. Augspurg 1726.

Atque isthoc in viro mea nunc desinit de exempto Wengensi Collegio nostro informato, ut opinor, non absque suavi opportunitate. Nam & ipse meus Religiosi tyronis indigni Informator fuit & Magister omnino Apostolicus, cui bene sit cum omnibus, qui nos æternitatis iter carpentes præcesserunt (nostrum cuique carpendum serius, citius) in Sæcula Sæculorum.

## A P P E N D I X.

Josepho Præposito successit Michael III. Patria Weissenhornensis, Kuen paterno stemmate dictus. Inter Præpositos Wengenses XXXV. inter Infultos V. inter meritissimos nulli secundus, Vir sane illustris. Hic ex Decano Præpositus Canonicus electus 2. die Decembris anno 1754. vitæ ejusdem laudatissimæ Epitome ac Regiminis gloriosi Periodus aliud distinctum ab isthoc opere, & quidem integrum merentur volumen, qui plures doctissimos diversæ scientiæ libros ac libellos scripsit, ac typis publicis evulgavit, præprimis in perficiendo & evulgando Opere posthumo Francisci Petri Wettenhufani Germaniæ Canonico-Augustinianæ summe industrius, proin vel maxime de Canonicis Regularibus S. Augustini optime meritus, ac æterna memoria dignissimus Præsul. Unde justissime post præfestinatum Ejus obitum, qui 10. Mensis Januarij anno 1765. dolenter accidit, Michaeli III. Rmo Patri suo parentârunt Filii, Con-Canonici Wengenses, amplissimo, quod ad DD. Confœderatos ablegârunt, Elogio, sequenti tenore expressio:

Vidimus - - Stellam. Luc. c. 2. v. 2.

**R**eges, qui ex Oriente ad Stabulum venerunt, et quorum Festos Dies modo celebramus, inter cætera viarum iocommoda haud tristiore, credo, habuere calamitatem, quam quæ amissæ Stellæ fuit. Doloris magnitudinem ex supervenienti postmodum gaudio conjecturare licet, quod sacræ paginæ hisce verbis emphaticis exprimunt: *Videntes autem Stellam gavisij sunt gaudio magno valde,* Luc. c. 2. v. 10.

Eadem nobis hodie dolendi materies est, colendissimi DD. Confœderati: amissimus stellam, heu, quam præclaram, quam pellucidam: amissimus (fiens dico) Reverendissimum, perillustrem ac Amplissimum DD. Michaellem III. exemptæ nostræ Canonice ad Insulas Wengenses Præpositum, & Abbatem Lateranensem, Sac. Caf. & Apost. Majest. Consiliarium, & Capellanum perpetuum &c. &c. quæ jactura, & quam dissimilis illi Magorum! Hi stellam amiserunt, sed amissam rursus invenerunt: At nos amissimus stellam, nunquam deinceps apparituram.

Sentimus dolorem, quem verbis explicare non possumus. Novimus pretium amissi sideris, quod calamo describere non sufficimus.

Netamen puerorum, mulierumve adinstar vociferari videamur, en doloris nostri rationes, quas tremens describit penna.

Lucem primam aspexit Michael, aut potius primo lucere cepit stella nostra Weissenhorni, Anterioris Austriæ oppido anno 1709. die 9. Februarii Ortus ex parentibus piissimis atque honestissimis Anna Braumüllerin Matre & Jacobo Kuen Patre: en!

Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera.

E b b b b b

Stella



*Stella ex Jacob. Num. c. 24. v. 17.*

Sacra lympha tinctus, & primis Religionis Christiano-Catholicæ rudimentis imbutus ab incunabilis bonæ, quam nactus est, animæ indicia haud obscura dedit. In Collegio nostro elegantiores litteras, Augustæ Vindelicorum severiora philosophiæ placita, Dilingæ vero, jam sacro habitu indutus, sacrarum litterarum dogmata imbibit. Imbibit, diximus; tanta enim ejus fuit ingenii capacitas, tantus discendi ardor, tantusque in scientiis quibuscunque profectus, ut Magistrorum esset amor & admiratio, Condiscipulorum vero Magister posset videri. Sic fulsit stella nostra in tenera illa, & Caliginosa alias ætate: en!

*Stella matutina in medio nebulae. Eccli c. 50. v. 6.*

Hujus luminis claritatem, absque telescopio, conspiciens Canonica Wengensis, atque tam nobile sidus Zodiaco tuo inserere optans, piis egregii juvenis supplicationibus ultro annuit, eumque anno 1727. Canonico habitu, & Michaelis nomine donavit, felici omine, cum Michael Archangelus eum debellaverit, qui olim cauda sua traxit tertiam partem stellarum. Tum vero stella nostra altiozem semper arcum describens enuncupatis anno 1728. d. 24. Aug. Professionis religiosæ votis, anno 1733. d. 25. Mart. ad Sacerdotii gradum, dein vero anno 1734. d. 27. Jan. per Capitularium sufragia ad Decanatus dignitatem ascendit,

*Stella ascendens.*

*term. ex astron.*

Donec tandem anno 1754. d. 2. Dec. sparsis longe lateque radiis lineam meridionalem attingens, supremum abbatialis dignitatis culmen obtinuit,

*Stella culminans,*

*term. ex astron.*

Breviter hucusque stellæ nostræ periodum observavimus Illius vero splendorem qui describat, ultro fatemur, calamus noster ineapax est. Mirus in Præposito nostro virtutum scientiarumque splendor eluxit. Quantus fuit Deo, quantus proximo!

Religio in Michaelæ habuit cultorem pientissimum, vindicem acerrimum. Hoc loquuntur verba, quæ quam sapissime plena spiritu ab eo audivimus. Loquuntur preces, quas crebro cum ardore & gemitu ad Deum effudit. Loquuntur scripta, quæ pro Dei, & Sanctorum honore composuit. Loquitur ecclesia, quam pretiosa suppellectile exornavit. Loquuntur SS. Iesu Christi stigmata, quorum cultor insignis fuit, & quorum cultum tum in suis, tum in exteris omni, quo potuit, modo promovere allaboravit; vere

*Stella splendida,*

*Apoc. c. 22. v. 16.*

Atque his perinde ac aliis in virtutibus, quas commemorare longum foret, Planeta non fuit, qui stare frequenter, imo & regredi observatus sit. Non movebatur, nisi ubi cum primum mobile, Deus, rapiebat, vere

*Stella fixa.*

*term. ex astron.*

Et quentus fuit proximo! norunt pauperes, quos liberali manu adjuvit. Norunt pusillanimes, quos solatio erexit. Norunt in Angustias redacti, quibus consilio profuit. Norunt ignorantes, quos docuit. Norunt pœnitentes, quos peccatorum Cœno eduxit. Norunt heterodoxi, qui si voluissent, saperent. Norunt plurimi, quorum fortunæ Author fuit, & promotor. Dicere possumus de Michaelæ, quod canit Ordo Canonicus de S. Augustino in præfatione: *Destruxit hæreses, errores repulit, hæreticosque prostravit. Clericos docuit, laicos monuit, devios in viam veritatis reduxit &c.* atque ita fuit, ringentibus licet novatoribus.

*Stella influens*

*term. ex Philos.*

Ulteriore m fœcundi sideris influxum hausere exterorum plurimi. Mira judicii vi præditus, atque incredibili optimarum cogitationum copia dives famam sibi comparavit, & æstimationem amplissimam. Attabili conversatione, suavi eruditione



toque lepore, quæ inter homines rara est, amicos sibi, Canonice patronos fecit. Commodum & gloriam collegii nostri scopum habuit, in quem collimavit semper, aberravit nunquam. Commissi sibi gregis pastor fuit bonus, non Mercenarius. Baculo usus est ad erigendum, non ad destruendum, ad fulciendum, non ad ferendum. Juxta S. Regulæ normam amari potius, quam timeri appetiit. Vulnere, ad Samaritani exemplum, oleo fovit & vino. Veri quantumlibet rectique tenacissimus, fuit tamen

*Nunquam Cometa.*

Hos inter splendores is etiam fuit scientiarum. Verum quid hic dicemus? Succumbit oneri calamus. Fuit Poeta, Orator, Philosophus, Mathematicus, Historicus, Theologus, Polemicus, Asceta, Criticus, &c. &c. Neque ullum scientiarum, aut artium liberalium genus fuit, quod perspicacissimi Viri intellectum fugerit. Ubique præclara dedit specimina, quæ norunt domestici, æque ac exteri. Atque inter cætera hanc quoque artem calloit, scientiam communicandi aliisque ad scientias aperiendi viam. Fatentur id multi, qui modo Magistri sunt in Israel, se Michaelē Duce ad scientiarum cognitionem pervenisse. Nempe,

*Stella - - antecedebat eos,*

*Luc. c. 2. v. 9.*

Dumque Michael ipse modo tacet, pro ejus eruditione satis loquuntur elucubrations eruditæ, quas tecto alias, alias aperto nomine in lucem edidit, quorum ferme apex est Monasterio-logia; cui ante mortem adhuc coronidem imposuit. Loquitur pro ejus erga scientias animo Bibliotheca nostra, quam locuplete librorum apparatu ditavit. Loquuntur denique tot instrumenta mechanica, quæ pro exigentia philosophiæ recentioris comparavit. Paucis, fuit Michael inter doctos.

*Stella primæ magnitudinis.*

*term. ex astron.*

Verum siste calamus. Quorsim enim encomiorum congeries, quæ merita nunquam adæquant, & quæ neque aut patris, aut fratris penicillus, utrunque dexterrimus, satis adumbrare unquam potest. Is occubuit, qui, dum viveret, amplissimam laudis materiam præbuit, ipse tamen laudes semper abhoruit. Et revera asciticio hoc splendore non indiget, qui fuit

*Stella proprio lumine fulgens,*

*ex Philos.*

Vidimus stellam, Michaelē scilicet, suo in cursu & splendore, Sed quid? quid? si aliis visa est stella nostra *Stella errans!* Nota scribimus. Quidquid sit, illud hic nobis in mentem venit, quod Antistes Mediolanensis lib. 2. in Luc. cap. 2. ait: *Stella ab his (Magis) videtur: & ubi Herodes est, non videtur.* Stella nostra, dum maligna quædam nubes eam obfuscare attentavit, majores inde emisit radios. Certe Michael, validissimis ad abstergendam maculam instructus viribus, nihil scire, nihil audire voluit de vindicta, sed injuriam SS. Trinitati, JESU quinque vulnerato, & dolorosæ Matri Elchinganæ litavit, actu plane heroico. Viri sapientes magis, quam ipse, offensi, majorem erga eum asstimationem litterarum farragine testati sunt. Nempe stella ab his videtur, & ubi Herodes est, non videtur. Et sic Michael fuit

*Stella magorum.*

Sed eheu! vidimus stellam, & jam non videmus. Michael quippe cum variis Podagræ & Arthriticis vagæ doloribus per vitæ cursum colluctans, eos quidem semper forti patientique animo superavit. At nudius tertius malo, quod ob dolorum vehementiam morbum tartareum vocat Paracelsus, recrudescente, & e pedibus in brachia, atque ab his in caput ascendente succubuit. Varios mortis prodromos advertens, SS. Eucharistiæ & extremæ unctionis Sacramentis muniri petiit. Suavissima JESU & MARIÆ nomina singulari spiritus alacritate audivit, atque pro eo, ac poterat, pronuntians invocavit. Canonicorum quodam actus fidei, spei & charitatis ex libello eidem familiari prælegente, collectis, quantum potuit, viribus, fortissima intensæ devotionis argumenta præbuit, donec tandem gravissi-

B b b b b 2

mis



mis doloribus mira patientia toleratis 10. Januarii circa horam nocturnam semi-undecimam placidissime obdormiens, animam Creatori reddidit, factusque est

*Stella, quæ retraxit splendorem suum.*

Toël c. 3. v. 15.

Quamquam autem inter extremum animorum nostrorum planctum id nobis restet solatii, stellam nostram, quæ tam belle luxit in terra, inter cæli astra fuisse collocatam: nihilominus cum incertæ sint hominum cogitationes, & timidæ; & si is, cujus oculi multo plus luciores sunt super solem, stellam nostram *nebulosam* invenerit, Vos colendissimi DD. Confœderati, piaculari hostia eam purificate, ut lux perpetua luceat ei.

Michaeli III. Canonica Electione successit, ex Decanatu Wengensi assumptus modernus Reverendissimus DD.

### GREGORIUS TRAUTWEIN ab ASCH,

Loco Sueviæ, oriundus, Præpositus ordine XXXVI. in Infula VI. pariter cum Antecessoribus suis Apostolica Autoritate confirmatus, litterarum cultor apprime scientificus. Faxint Superi, ut dignissimus hic Prælati per plurimos Regiminis annos Exemptæ Canonice suæ felicissime præsit, & profit.

Tomi V. Partis II. Finis.



INDEX